

*Caro mea verus est cibus,
et sanguis meus verus est potus.*

✠ Lécctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 6, 51-58

In illo témpore: Dixit Iesus turbis Iudæórum:

⁵¹ «**E**go sum panis vivus, qui de cælo descéndi.
Si quis manducáverit ex hoc pane,
vivet in ætérnum;
panis autem, quem ego dabo,
caro mea est pro mundi vita».

⁵² Litigábant Iudæi ad ínvicem dicéntes:
«Quómo potest hic nobis carnem suam dare
ad manducándum?».

⁵³ Dixit ergo eis Iesus:
«Amen, amen dico vobis:
Nisi manducavéritis carnem Fílii hóminis
et bibéritis eius sánguinem,
non habéitis vitam in vobismetípsis.

⁵⁴ Qui mandúcat meam carnem
et bibit meum sánguinem,
habet vitam ætérnam;
et ego resuscitábo eum in novíssimo die.

⁵⁵ Caro enim mea verus est cibus,
et sanguis meus verus est potus.

⁵⁶ Qui mandúcat meam carnem
et bibit meum sánguinem,
in me manet,
et ego in illo.

⁵⁷ Sicut misit me vivens Pater,
et ego vivo propter Patrem;
et, qui mandúcat me,
et ipse vivet propter me.

⁵⁸ Hic est panis, qui de cælo descendit,
non sicut manducavérunt patres et mórtui sunt;
qui mandúcat hunc panem,
vivét in ætérnum».

Verbum Dómini.